

T H E S I S I.

Logica, sicut aliæ artes, exercetur *Analysi & Genesi*.

II.

Analysis Logica est, quâ res propositas eruditè juxta Logicæ præcepta reteximus, ad eas plenius intelligendas.

III.

Hic primò omnium spectandum est *thema*, h.e. res illa, quæ arguitur: Deinde videndū est, utrū *thema* sit unicū, vel multa; utrū simplex vel compositū; & si sunt multa, utrū sint ejusdem generis, nec ne.

IV.

Simplex *thema* est, ad quod nō responderi potest ita vel non: Compositum contrā, h.e. quod vel affirmari, vel negari potest.

V.

Porro singula ordine eruenda, ad *thema* propositum accommodanda, & nominibus logicis appellanda sunt.

VI.

Hic ne verbosis utar ambagibus, rem ipsam uno atq; altero exemplo Theologico declarabo.

VII.

Capiter. Job. *Thema* est unicum simplex: *Afflictio Jobi*.

VIII.

V.1. Afflictionis illius *subjectum* recipiens, nempe Jobus describitur à *subjecto* loco, adjuncto nomine & virtutibus duabus, quæ licet quatuor nominibus significantur, tamen ad res duas videntur revocari posse. Nam *יָבֹחַ* significat perfectum, qui nō solū externè, sed etiam internè suum facit officium erga Deum & homines. *יָשָׁר* verò dicitur, qui alienus est à versutia & hypocrisi, quæ æquipollent. Deinde timere Deum & declinare mala arctissimè cohærent, ut causa & effectum proprium. Timor Dei itaque, quæ virtus altera est, hîc arguitur *effecto proprio*.

IX.

V.2. à *πολυτενία* ejus *adjuncta*, quæ in signis Dei benedictio est; & quidem tantò major, quantò homo cæteris creaturis est nobilior.

X.

V.3. ab opibus, quæ sunt adjuncta externa, item à minoribus, ibidem: Erat vir ille maximus.

XI.

V.4.5. à facto speciali, videlicet liberorum convivantium expiatione per sacrificia.

XII.

V.6. Haftenus afflictionis illius *subjectum*: sequitur hinc *causa efficiens prima & suprema* Deus, ubi præmittitur *causa impellens*, quæ fuit colloquium Dei cum Satana, cujus scopus seu quaestio hæc erat: Jobus est homo perfectus, h. e. non est hypocrita, v. 8. Hanc quaestionem conjunctam negat Satanas, & sic sophisticatur:

Si Jobus Deum tantum timet in rebus secundis, non est perfectus.

At verum est primum. Ergo & extremum.

XIII.

Loco *propositionis* est *prosyllogismus* ab experientia futura, v. 11. cum conclusione. *Assumptio* exprimitur v. 9. & probatur v. 10. à singulari Dei benedictione & protectione.

XIV.

V. 11. *Causa efficiens principalis* afflictionis illius hinc notatur, nimirum gubernatio Dei, quæ partim permissio fuit, partim interdictum. Nempe Deus limites afflictionis illius præscripsit, quos æquè minus Satanas transilire potuit, atq; terræ globum suis convellere sedibus.

XV.

V. 13. *Tempus adjunctum* illius afflictionis, & quidem Satanæ opportunissimum. Quò homo sibi videtur felicior & florentior, eò ruinæ est propior.

XVI.

V. 14. 15. 16. 17. 18. 19. *Forma* illius afflictionis nec non *partes* indicantur. Afflictio Jobi fuit externa & interna. Externæ partes hinc recensentur, nempe quatuor: jactura bouum & asinarum, v. 15. camelorum, v. 17. liberorum, v. 19; Et hinc varia Satanæ *instrumenta* connotantur, nempe prædones Sabæi, v. 15. Chaldæi, v. 17. ignis, v. 16. ventus, v. 19. Internæ Jobi afflictionis (de qua præcipue c. 2. 3.) causa poni potest in nuntiis diversis, clades singulas annunciantibus. Videmus hic nullam calamitatem esse solam: & in primis electos continuis exerceri malorum fluctibus. Confer Psal. 42. v. 8. 1. Pet. 4. v. 17.

XVII.

V. 20. 21. *Effecta* illius afflictionis indicantur duo: (1.) humiliatio Jobi testata externis gestibus, *ψ.* 20. & confessione de nativâ nuditate, *ψ.* 21. (2.) Confessio & glorificatio justitiæ divinæ, *ψ.* 21.

XVIII.

V. 22. Afferuntur quæ Deus dixerat ad Satanam, *ψ.* 8. Et hoc *effectū* est patientiæ Jobi, nempe Satanæ, sophistæ illius & homicidæ confusio coram Deo & omnibus filiis Dei, h. e. beatis Angelis.

XIX.

Pari ratione, ut alio breviori exemplo institutū meum declarem, *thema* psalmi 1. est duplex: unum de homine pio, alterum de homine impio. De quo utroque quæritur, quænam sit ipsius conditio.

XX.

Ac de pio quidem pronuntiatur, eum esse beatum, *ψ.* 1. De impio verò, eum esse miserum.

XXI.

Cæterum pius describitur ex *effectis* seu actionibus *propriis*, idque per antithesin, *ψ.* 1. & 2. Intellectus & voluntas ejus in verbo Dei sunt occupata.

XXII.

Beatitudo autem ejus illustratur simili, vers. 3. cujus protasis est quadruplex, apodosis verò simplex, ibi, *Ideo quicquid faciet.*

Comparatio hæc plena foret.

Arbor plantata.—Ita homo beatus à Deo translatus est in Ecclesiam.

Ad rivos aquarum.—Ita quoque regenerato succus ex Christo capite defluens non deest.

Fructum suum edit.—Regenerati credunt & resipiscunt: Deum & proximum diligunt.

Et folia non decident.—Ita regeneratus perpetuò florebit, & quicquid faciet, prosperabitur.

Item, declaratur ex *causa procreante*, videlicet approbatione Dei, quâ actiones pii approbat, *ψ.* 6.

XXIII.

Miseria verò impiorum declaratur primò *simili*, *ψ.* 4. Deinde declaratur à *causa procreante*, videlicet judicio Dei, quo actiones ejus improbat, ac proinde eum damnat, & à piis segregat, *ψ.* 5. 6.

XXIV.

En analyseos exēpla duo, ubi *thema simplex* declaratum fuit: sequuntur totidem, ubi *thema conjunctum* considerabitur.

XXV.

Capite 4. Jonæ quæstio est conjuncta talis: *An Deus rectè misereatur Nineuitarum.* Hæc quæstio affirmatur tali argumento: quia Jonas indignè ferebat cucumerem periisse. *Argumentum est à minori.*

Judicium Dianoëticum tale est:

Si tu Jonas indignè fers (ait Deus) istius cucumeris interitum, multò magis me miserebit florentissima & amplissima illius urbis Nineve.

At tu indignè fers, cucumerem illum periisse. Ergo multò magis ego Deus indignè ferrem, si eam populosa civitas interiret. Vel, Ergo multò magis me miseret Nineve illius.

XXVI.

Propositio deest, & loco ejus est *prosyllogismus*, *ψ. 10.* à comparatione *dissimilium*. Tu cucumerem non fecisti, non tuus est, fructus est non magni pretii, unâ nocte effloruit, & rursus emarcuit. At ego feci Ninevitas, quorum infantes sunt plures duodecim myriadibus, qui nesciunt discrimen inter dextram & sinistram. Quis hujus innocentis ætatis non haberet rationem? Porro sunt in ea urbe quoq; tot armenta, jumenta, boves, equi, cameli, &c.

XXVII.

Assumptio est *ψ. 8. 9.* illustrata à *causa impellente*, videl. æstu, cujus indicantur causæ naturales duæ: Sol & Eurus seu ventus filens, & quò etià pertinet *ψ. 6. 7.* ubi cucumeris narratur *causa efficiens*, *tempus*, & *causa corrumpens*. En Deus hîc sibi ipsi fabricatus est *argumentum tertium*, idque miraculosè ad cerebrosi illius Prophetæ nævum redarguendum!

XXVIII.

Conclusio est *ψ. 4.* amplificata à *contrario*. Rectè me miseret illius urbis; meritò me pœnitet illius mali, quo Nineven eram affecturus: At tu contrà prepostero laboras zelo, & tuis precib. nihil obtines, *ψ. 2. 3.* quia malè petis, ut loquitur Deus ipse per Jacobum, Jacob. 4. *ψ. 3.*

XXIX.

Sic Psal. 117. ut brevissimo exemplo analyfin concludam, quæstio est composita, talis: Omnes gentes celebrent Jehovam. In hac quæstione disponitur *causa efficiens cum effectu.*

Argu-

XXX.

Argumenta, quibus probatur hæc quæstio, (quæ §.1. bispōnitur, & ἐμφανῶς iteratur) afferuntur in textu duō; quorum unum petitum est à Dei benignitate; alterum ab ejusdem fide & constantiâ. Hæc argumenta cum quæstione disponuntur enthymematicè. Nos syllogismos plenè proponamus. Syllogismus 1.

Si ingens est Dei erga gentes φιλανθρωπία, meritò eum laudare debent. At verum est primum. Ergo & extremum.

Propositio deest. Assumptio extat §.2. Conclusio §.1. Est itaq; enthymema.

XXXI.

Quousq; verò illa Dei benignitas se extendat, interpretis est declarare. Nempe Deum suos dilexisse ab æterno, præparasse illis terram, ut diverforium, & regnum cælorum ut patriam, creasse eos, seductos à Satana in viam revocasse per filium suū, ἀρχιποιμένα & Dominum nostrum φιλανθρωπόπατον, nos ex Satanæ potestate liberatos conservare & protegere, nos tandem ex pulvere terræ excitaturum esse ad gloriam cælestem &c.

Syllogismus 2.

XXXII.

Si Dei fides est in seculum, meritò omnes gentes & populi eum laudant.

At verum est antecedens. Ergo etiam consequens.

Propositio rursus deest. Assumptio est §.2. Conclusio præcedit, §.1.

XXXIII.

Fides hæc & constantia Dei in implendis promissionib. prolixè ex scripturis demonstrari potest. Promiserat Deus semen mulieris contritum caput serpentis, Gen.3. hanc promissionē implevit. Promiserat Noæ conservationem in diluvio, & eū quoq; cum familia conservavit, Gen.6.7. Promiserat Abrahamo semen benedictum & semen terræ, Gen.15. utrumq; reipsâ præstitit. Promiserat populo Israëlítico liberationem ex Ægypto, Gen.15. eam promissionem implevit, Exod.12. Promiserat Spiritum S. Joël.2. & hunc in N.T. mittit. Promisit fedus gratiæ fore æternum, Jer.31. & hoc ipsum potenter & admirabiliter præstat, quatenus unumquemque electum ex mille insidiis Satanæ, aliisq; periculis liberat &c.

XXXIII.

Atq; hæc sunt quæ de benignitate & fide Dei *ὡς ἐκ παρὸς φησὶ τὸ πρῶτον* dicere volui. Nam analytici est inherere textui, & præter ejus verba nihil considerare ampliùs. Et accurata analysis brevior esse solet ipso textu, qui resolvitur.

XXXV.

Hactenus exempla fuerunt analyseos quatuor: sequuntur exempla Geneseos.

XXXVI.

Est verò *Genesis* *thematis alicujus dispositio Logica*, ut illud èd facilius mente & memoriâ comprehendamus.

XXXVII.

Genesis omnis, ut in analysi vidimus, aut thema complectitur simplex, aut compositum.

XXXVIII.

Thema simplex hîc nobis sit *ECCLËSIA*, locus amplissimus, de quo passim legimus in scripturis, in quo exponendo methodum inventionis sequemur; ita tamen, ut definitionem tum vocis, tum ipsius rei simus præmissuri. Nam ex lege methodi ea sunt præmittenda, quæ cæteris lucem præferunt.

XXXIX.

Notatio. Ecclesia itaque, ut à nominis definitione ordiamur, est vox origine Græca, dicta *ἐκκλησία* τὸ ἐκκαλεῖσθαι, h. e. evocari, quod propriè est hominum. Notatio est ab *adjuncto*. Hebraicè vocatur *קהל*, hoc est, congregatio, Psal. 22. v. 23. & propriè dicitur de congregatione hominû, facta per convocationem. Item *קהל*, h. e. congregatio *συναγωγή*, Psal. 1. v. 5. per eandem notationem. Germanicè *Kirche*, q. *κυριακή* contractum, ubi subintelligitur *δική*, quæ Etymologia est à simili.

XL.

Distinctio vocis. Est verò Ecclesiæ vox *πολύσημος*. (1) propriè accipitur pro cœtu hominû quacunq; de causa cōvocato, Act. 19. v. 32. *Qui* cœtus quoq; Latinè dici solet Concio à conciendo: sicut cœtus à cœundo, h. e. conveniendo. (2) *κατ' ἐξοχήν* pro cœtu sanctorum, idq; vel pro Ecclesia tota, Eph. 5. v. 23. vel solâ militante, Act. 8. v. 13. vel profidelib. unius provinciæ, regni aut urbis, Apoc. 12. v. 5. Rom. 16. v. 5. vel deniq; pro presbyterio, qui senatus est Ecclesiasticus, per *synec. integr.* Matth. 18. v.

18. v. 18. (3) Pro cœtu reprobatorum ex vi primæ significationis, quæ denotat cœtum hominum quemcunq; sive bonorum, sive malorū, Psal. 26. v. 15.

XXI.

Definitio. Ecclesia in secunda significatione accepta, est, sicut Apostolus eam definit, 1. Cor. 1. v. 2. *Cœtus sanctorum vocatorum, invocantium nomen Domini nostri Jesu Christi, quovis loco: De quâ tantum posthac nobis sermo erit.*

XLII.

Hujus Ecclesiæ causa efficiens procreans & conservans principalis est Pater, Filius, & Spiritus S. Nemo potest venire ad me (ait Christus) nisi Pater eū traxerit, Joh. 14. v. 6. Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas & vita illa: nemo venit ad Patrem, nisi per me, Joh. 10. v. 14. Ego sum pastor ille bonus, Joh. 14. v. 26. Spiritus sanctus vos docebit omnia. Vide præterea Act. 20. v. 28.

XLIII.

Causa impellens αὐτοκίνητος est propositum Dei patris æternum, & gratuita ejus misericordia, Joh. 3. v. 16. Causa verò αὐτοκίνητος est intercessio & meritum filii, Joh. 17. v. 17. 19. 20.

XLIIII.

Causæ administræ sunt Prophetæ & Apostoli, veri q; eorum successores, qui iccirco σωεργοί, 1. Cor. 3. ædificantes, Rom. 15. v. 20. & architecti dicuntur, 1. Cor. 3. v. 10. & lux mundi, Matth. 5. v. 14. idque duntaxat ministerii ratione.

XLV.

Instrumentum est verbum Dei, quod ministri quidem externis offerunt sensibus: Solus autem Spiritus sanctus est qui fidem dat, datamq; auget, Ephes. 2. v. 6. *Gratiâ servati estis per fidem, idq; non ex vobis, Dei donū est.* Rom. 8. v. 16. *Ipse Spiritus cōtestatur spiritui nostro, nos esse filios Dei.* Hic doctor nisi intus nos doceat, illuminet, animos emolliat, & ad credendum flectat, humani doctores aërem verberant, omnemq; operam & oleum perdunt, Act. 16. v. 14. *Dominus aperuit cor Lydia.* 1. Cor. 2. v. 10. *Nobis autem retexit Deus per Spiritum suum.* 1. Cor. 3. v. 7. *Neg, is qui plantat est aliquid, neg, qui rigat: Sed Deus qui dedit vim crescendo.*

XLVI.

Materia Ecclesiæ est omnis creatura humana, Marc. 16. v. 15. 16. *Ite in universum mundū, & predicate Evangelium omni creaturæ, hoc est, omni-*

bus hominibus, cujuscunq; fuerint sexus, ætatis, ordinis, conditionis & nationis &c.

XLVII.

Forma ejus posita est in unione cum Christo capite, & membrorū inter sese, 1. Joh. 1. v. 3. 7.

XLVIII.

Finis est gloria Dei, 1. Pet. 2. v. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat, ut virtutes pradicetis illius, qui vos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem. Vide quoq; Jer. 33. v. 8. 9.

XLIX.

Effecta sunt præcipuè septem: 1. Audire vocē solius Christi sponsi & pastoris, Joh. 10. Oves meæ vocem meam audiunt. Matth. 3. Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco. Matth. 17. v. 5. Hunc audite.

L.

2 Credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S. Joh. 3. Qui credit in me, habet vitam æternam.

LI.

3 Uti Sacramentis, Baptismo & sacrâ Cœnâ, Matth. 28. Act. 2. versu 45.

LII.

4 Studere vitæ sanctitati, Luc. 10. v. 27. Diligere Deum ex toto corde & omnibus viribus, quæ Deus promisit in federe, inquit, Jer. 31. v. 33. Legem meam inscribam menti eorum: manus, pedes, oculos, etiam ipsam vitam malle perdere, quam Deum offendere. Matth. 5. v. 29. Si oculus te offendit, erue eum.

LIII.

5 Pugnare cum hostibus, videlic. Satanâ, mundo & carne, Eph. 6. v. 12. Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus spirituales malitias, Joh. 15. v. 19. Propterea odit vos mundus, Gal. 5. v. 17. 1. Pet. 2. v. 8. Caro militat adversus spiritum: Veritatem docere, eamq; contra hæreticos tueri: 1. Tim. 3. v. 15. Contradicentes convincere, Tit. 1. v. 9.

6 Ardenter Dei nomen invocare, Act. 2. v. 21. Ideoq; Servator ait, Luc. 18. v. 7. Deus autem non vindicaret electos suos, clamantes ad ipsum noctes atq; dies?

LIV.

7 Cum gemitu expectare Christi reditum ad judicium, Rom. 8. v. 23.

v. 23. *Suspiramus expectantes redemptionem &c. Sursum aspice, Luc. 21. v. 28. & attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestri. Apoc. 22. v. 17. Spiritus & sponsa dicunt, Veni. V. 21. Profecto veni Domine Jesu. Et sic Ecclesia quotidie orat: Adveniat regnum tuum, Matth. 6.*

LV.

Subjectum recipiens ad se est Christus, Ephes. 5. v. 23. Christus caput est Ecclesia: & is est, qui salutem dat corpori: Christus solus est rex Ecclesia, Joh. 18. v. 37. Tu dicis me regem esse: Ego ad hoc genitus sum, Matth. 28. Mibi data est omnis potestas in calo & in terra &c.

LVI.

Adjuncta Ecclesia partim interna sunt, partim externa, eoq; respectu modò dicitur visibilis, modò invisibilis: Adjuncta interna sunt fides, spes, charitas. 1. Cor. 13. v. 13. Heb. 11. Gal. 5. v. 22. 24. De quib. judicat Deus, qui eas animis electorum inprimit, 2. Tim. 2. v. 19. Novit Dominus qui sunt sui. Jer. 12. v. 3. Tu, Domine, agnoscis me, pervides me, ideo probas animum meum ut adhaereat tibi, Psal. 139. v. 1. Domine pervestigas me, & agnoscis me. Nec non illi de seipsis, quibus impressa sunt, 2. Cor. 13. v. 5. Rom. 8. v. 38. Mibi persuasum est. Marc. 9. v. 24. Credo, Domine, succurre incredulitati meae, Job 13. v. 15. Si enecaret me, an non sperarem? Gal. 2. v. 20. Christus (ait Apostolus) in me vivit, me dilexit, se pro me tradidit.

LVII.

Adjuncta externa tum notae sunt, ex quibus hominibus innotescit, tum crux ac persecutio, Gen. 3. v. 15. Joh. 15. 20. Notae sunt, pura verbi divini praedicatio, Esa. 2. v. 23. Veritatis caelestis confessio, Rom. 10. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Legitimus Sacramentorum usus, Mar. 16. 15. 1. Cor. 11. v. 25.

LVIII.

Hinc dicitur Ecclesia sancta, quia sanguine & spiritu Christi est mundata, 1. Cor. 6. v. 9. Ne errate, neq; scortatores, neq; idololatrae, &c. regni Dei hereditatem adibunt. V. 11. Hac erat is quidem, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. Et quia ab impuro mundo est segregata signis federis & vitae sanctimoniam, Joh. 17. v. 16. Ex mundo non sunt, prout ego non sum ex mundo. (hic orat S. N.) v. 17. Sanctifica eos in veritate tua.

LIX.

Dicitur καθολικὴ, h. e. universalis, ratione populorum, locorum,

temporum; quippe quæ colligitur ex omnibus populis, ubi vis locorum, & quæ semper duravit, Rom. 9. v. 4. Apoc. 5. v. 9. 10. *Redemisti nos ex omni tribu, & lingua & populo & natione.* Nam propter Ecclesiam Deus mundum tamdiu conservavit, & porro conservabit, ut liquet ex Gen. 7. cap.

LX.

Diversa. 1. Esse in Ecclesia & esse ex Ecclesia, hoc est, esse membrum Ecclesiæ, Joh. 2. v. 19. 2. Esse electum & vocatum esse ad Ecclesiam, 2. Reg. 5. Nahaman Sirus semper electus erat, sed non vocatus. Sic Nebucadnezar, Dan. 4. v. 37. 3. Salva manet communio inter Ecclesiam triumphantem & militantem, licet hæc illam non invocet. 4. Non omnes qui dicunt, se pertinere ad Ecclesiam, ad eam pertinent, Matth. 7. v. 21.

LXI.

Disparata. 1. Ecclesiæ militantis conditio non metienda est externo splendore & mundana felicitate, Joh. 18. v. 36. 2. Non est affixa uni loco aut genti, Marc. 16. 3. Non est perfecta in hac vitâ, 1. Cor. 13. 4. Non interire potest, Matth. 16. v. 18. 5. Ecclesia non habet duo capita, Eph. 5. 6. Non est ædificata super traditiones humanas, Ephes. 2. v. 20. 7. Ejus prorex non est Papa Romanus, Matth. 21. v. 5. 8. Ecclesia non habet potestatem librum Apocryphum canonizandi; prætorii auctoritate controversias decidendi, ritus aliæve instituendi, quæ conscientiam obligent, &c. Nam Deus Ecclesiæ suæ aliud mandavit, Deut. 4. v. 2. 9. Ecclesia triumphans non est invocanda à militante, &c. Psal. 50. v. 15. *Invoca me,* ait Dominus.

LXII.

Relata. Ecclesia est virgo casta & sponsa, & Christus ejus est sponsus, Esa. 54. v. 5. Hos. 2. v. 19. *Desponsabo te mihi in seculum. Desponsabo,* inquam, *te mihi justitiâ, judicio, & benignitate ac misericordiâ.* Et *desponsabo te fide,* ut agnoscas Jehovah. Hic illorum sponsaliorum indicatur finis, de quo supra num. 48.

LXIII.

Adversa. Ecclesia non est cætus reproborum, Psal. 15. vers. 2. 3. 4. &c. Impurorum canum, Apocal. 22. v. 15. Epicureorum, porcorum, qui *oderunt disciplinam Domini, & sermones ejus retrorsum projecerunt,* Psal. 50. v. 17.

LXIV.

Pavia. Ecclesia hoc seculo æquæ Deo curæ est, atq; tempore Moysis. Ecclesia

Ecclesia hodie æquè errare potest, atq; olim, Exod. 32. i. Reg. 18. Amos 2. v. 4. Jer. 23. v. 10. 11. Ecclesiæ triumphantis cives Angelis pares sunt, Matth. 22. v. 30. Nos verò futuri sumus ἱσάγγελοι, Ad hanc perfectionem contendimus, ita quotidie orantes: *Fiat voluntas tua, quemadmodum in calo, ita etiam in terrâ.*

LXV.

Majora. Christo ut capiti subjecta est Ecclesia, Ephes. 5. versu 24. Ecclesia triumphans beatorum est militante. Ecclesia N. T. felicior est Ecclesiâ V. T. Matth. 11. v. 11.

LXVI.

Similia. Ecclesia dicitur (1) mater fidelium, Gal. 4. v. 28. hinc illud: *Ecclesiam, quæ non habet matrem, nec Deum patrem.* (2) Sponsa, amica & soror Christi, Cant. 4. v. 6. 7. 8. Uxor Christi, Esa. 54. vers. 5. *Maritus tuus est Creator tuus.* (3) Virgo pura, casta, 2. Cor. 11. v. 2. (4) Regina & filia regis, Psal. 45. v. 20. (5) Columba, Cant. 2. v. 14. & 6. v. 8. (6) Corpus Christi, Ephes. 1. v. 25. & 5. v. 37. (7) Eam dicitur diligere ut pupillam suam, Zach. 2. v. 8. *Nam sic ait Dominus exercituum: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus.* Act. 9. Saul, clamat Christus, *quid persequeris me?* hoc est, corpus meum. (8) Regnum cælorum, Matth. 5. v. 19. (9) Domus Dei viventis, 2. Tim. 2. v. 20. Psal. 23. v. 6. 1. Tim. 5. v. 15. (10) Familia Domini, Matth. 24. versu 45. Hebr. 3. v. 2. (11) Civitas Dei, Hebr. 12. v. 22. Apocal. 11. v. 2. & 21. v. 2. 10. (12) Nova Hierosolyma, Gal. 4. v. 26. Zach. 2. v. 5. (13) Sion, Psal. 2. v. 5. Hebr. 12. v. 22. Apocalyp. 11. v. 2. & 21. v. 2. 10. Mons altus Israël, Ezech. 17. vers. 23. (14) Columna & fundamentum veritatis, 1. Tim. 3. vers. 15. (15) Ovile Christi, Joh. 10. v. 16. (16) Grex pusillus, Luc. 12. v. 32. *Ne metue, pusille grex. Nam libuit patri vestro dare vobis regnum illud.* (17) Tabernaculum Dei, Psal. 15. v. 1. (18) Templum Dei, 1. Cor. 6. v. 16. (19) Vineæ, Matth. 21. v. 33. Joh. 15. v. 1. Esa. 5. v. 1. (20) Vitis, Psal. 80. v. 9. (21) Ager, Matth. 13. v. 24. (22) 1. Cor. 3. v. 9. Θεὸς ἡμεῶν, Θεὸς οἰκοδομῆς. (23) Arca, Luc. 3. v. 17. (24) Sagena, Matth. 13. v. 47. (25) Annulus signatorius, Cant. 7. v. 10. Hagg. 2. v. 23. *Ponam te ut annulum signatorium; quia te elegi, dictum Domini.* (26) Requies Christi, Eph. 11. v. 20. (27) Hæreditas Domini, κληροῖ τῆς κνείας, 1. Pet. 5. v. 3. (28) Alii eam comparant navigio illi, de quo Luc. 8. v. 22. (29) Alii quoq; Lunæ eam conferunt: sicut sacræ literæ Christum cum Sole comparant. Malach. 4. vers. 2. (30) Nazianzenus eam contulit cum arcâ Noæ, ubi sic scripsit:

Ζητῶ Νῶε κτείναν, ὅπως μέρον αἰὸν ἀλύξω. hoc est:
Arcam Noë quæro, ut gravem mortem effugiam.

LXVIII.

Distributio: Ecclesia dividi solet in militantem & triumphantem. Hæc degit in cælis, Apoc. 21. ψ. 4. 22. & est perfectè felix & sancta: illa in terris, Apoc. 12. ψ. 6. 13. 17. & suas habet rugas; quæ rugæ licet indies magis ac magis per Spiritum sanctum aboleantur, tamen id in hac vita plenè non fit, 1. Cor. 13. ψ. 9. 12. *Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, cernimus nunc per speculum.* Et Ecclesia militans sic semper cogitur orare, Matth. 6. *Remitte nobis debita nostra.* Militans subdividitur in Ecclesiam V. & N. Testamenti &c.

LXIX.

Hactenus Ecclesiam ex præcipuis Inventionis locis declaravimus; paucos, ut non admodum necessarios, de industria præterivimus.

Quæstionis conjunctæ in Genesi exemplum hoc esto: *Queritur an reprobus sit membrum Ecclesiæ militantis?* Neg.

1 *Negatur efficiens*, quia à Spiritu sancto non vocatur efficaciter, Roman. 8. ψ. 30.

2 *Negatur forma*. Non habet cum Deo communionem, 1. Joh. 1. ψ. 6.

3 *Negantur effecta*. (1) non audit verbum Dei, hoc est, illi non obedit, Joh. 8. Matth. 13. ψ. 23.

4 (2) Non militat in castris Christi contra Satanam, carnē & mundum. Ergo non est membrum Ecclesiæ militantis. *Argumentum hoc est ab effectu conjugato.* Nec militare potest, quippe qui armis Christianæ militiæ prorsus destituatur, Ephes. 6. ψ. 16. 17. &c.

5 *Negatur subjectum*. Ad Christum non pertinet. Gal. 5. ψ. 28. *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.*

6 *Negantur interna adjuncta*. Fide caret, ideoque non vivit, Rom. 1. ψ. 17. *fustus ex fide vivit.* Gal. 2. ψ. 20. *Vivo per fidem illam filii Dei, qui dilexit me, & tradidit se pro me.* Membra verò Ecclesiæ vivunt, 1. Pet. 2. ψ. 5.

LXX.

Longè plura adduci possent argumenta, sed hæc sufficiant. Hoc tantum moneo, in dispositione *quæstionis conjunctæ* cum *argumento tertio*, diligenter attendendam esse affectionem terminorum inter se. V.G.

8

Disp. *Disp.*
Reprobis — non pertinet ad Ecclesiam.
adjunct.

Dispar. Quia illa est sancta.

Hic expendo prius utrumque quæstionis terminum inter se, & deinde singulos cum tertio. Et deprehendo, terminos quæstionis se habere, ut *disparata*; quæstionis verò terminum consequentem relatum ad terminum seu argumentum tertium se habere, ut *adjunctum inbarens* ad suum subjectum; relatum verò ad terminum primum se habere ut *disparatum*. Quare si accuratè velimus loqui, hic dicendum fuerit, *argumentum tertium* petitum esse ab *adjuncto* partis consequentis, & *disparato* antecedentis.

Aliud exemplum:

Disp. *Disp.*
Reprobis — non est membrum Ecclesiæ.
Subject. *Dispar.*
Quia est ex Diabolo, Joh. 8. v. 44.

OBJECTIO I.

LXXI.

Qui sunt & versantur in Ecclesia, illi pertinent ad Ecclesiam. At multi reprobis sunt in Ecclesia. Ergo pertinent ad Ecclesiam.

Re. 1. Vitium est in *materia*. Nam falsa est *propositio*, ubi occurrit *elenchus non adjuncti proprii, ut proprii*. 2. Vitium quoq; est in *forma*. Nam in Ecclesia esse, phrasis est ambigua. Etiam ulcera sunt in corpore humano, sed tamen membra ejus non sunt.

OBJECTIO II.

Qui utitur Sacramentis, est membrum Ecclesiæ.

At reprobis in Ecclesia utitur Sacramentis. Sic Cain sacrificavit, Gen. 4.

Ergo est membrum Ecclesiæ.

Re. Vitium est in *materia*. Falsa enim est *propositio*, ubi committitur *elenchus non proprii effecti, ut proprii*. Externè sacrificare, & uti Sacramentis est commune tam electis, quàm reprobis. At fide sacrificium offerre, Heb. 11. & verà fide percipere Sacramenta, est solorum electorum.

OBJECTIO III.

Qui excommunicatur, fuit membrum Ecclesiæ.

At saepe reprobis excommunicatur.

Ergo saepe fit, ut reprobis sit verum Ecclesiæ membrum.

82. Vitium est in *materia*. Nam *propositio* non est universaliter vera. Et hîc distinguendum est inter iudicium Dei & nostrum. Ratione iudicii nostri fuit talis membrum Ecclesiæ. Nam ex charitate nos iudicamus, ad Ecclesiam omnes illos pertinere, qui se nobis aggregant. Sed reipsâ & ratione Dei, qui solus novit interiora hominis, & qui novit eos, qui sui sunt, talis nunquam fuit membrum Ecclesiæ.

LXXII.

En Logicæ fructum uberrimum in *Analysi* & *Genesi*, quâ solâ iudiciû acuitur, & memoria paratur felicissima. Quod restat, Deo agamus gratias pro hoc singulari & inæstimabili ejus beneficio, pro hâc, inquâ, arte, quâ cogitationes nostræ reguntur, emendantur & confirmantur: cumq; rogemus, ut artem hanc ab inanibus sophismatis, & inutilium subtilitatum barbarie repurgatam inter nos conservare, & ad posteritatem propagare velit. AMEN.

AD ORNATISSIMUM JUVENEM,

D. JODOCUM BAUMIUM, AMICUM MEUM

ἀξιόματον, DISPUTANTEM

De Ecclesia.

Augustinus.

Πῶς Θεὸν ὑψικέρανον ἐὼν λέξεις πενήτα,
 "Ὅσον" ἐκκλησίῳ δι' ὑποταγῆς ἔχῃ
 "Ὡς μέλα νημερτές, ὅτι ζευγῶν χεῖλεα λύσας,
 Ἀρχιερός πρὸς ἑφθ, ἡδυπαθὲς τε πατὴρ. Ὑμνολογῶν.
 Τούνεκεν οὐκ ἔργον, φίλ', ἀναξιόπαινον ἰδέξω,
 Μητέρα κοσμήσας τῶν μετέλθοι παῖς.
 "Οὐ γὰρ εἶδαι ἀργεῖν, παλάμησι δειδυμένον ἀγναῖς,
 Μητὲρ εὐαγγέλιον ἐκ ληρὸν ἐς εὐρυπορον, καθύπερθε λατῆν νάυ.
 Ἀλλὰ φιλοστόργον δύναν ἡρηπτήρια μητρὶ, ἵνα μὴ ἀδυνατίῃ.
 Ἀμμι καλῶς προάγει ὡς μελέτημα ἱόν.
 Σπεύδῃ, φίλιτε, νόις παρέχειν μελετήματα ταῦτα,
 "Οὐκ ἀνάσσει Θεὸς, οὐκ ἀνέστη σοφοῖς.
 "Οὐ τοι ἀναμφισβόλος καὶ πεφλημένος ἔστι
 Μητέρα πολυτρόχῳ, ὑψιπρόν τε πατὴρ.

ἔννοιας ἔνεκεν scribebam

ABRAHAMUS SCULTETUS
 Grünbergensis Silesius.

F I N I S.



Disp.
ad Ecclesiam.

est sancta.
quæstionis terminum inter se, &
endo, terminos quæstionis se ha-
inum consequentem relatum ad
e habere, ut *adjunctum inharens* ad
inum primum se habere ut dis-
loqui, hinc dicendum fuerit, *argu-*
o partis consequentis, & *disparato*
um:

Disp.
ntrum Ecclesia.

Dispar.
h. 8. v. 44.

o I.

pertinent ad Ecclesiam. At multire-
esiam.

m falsa est *propositio*, ubi occurrit
vitium quoque est in *formâ*. Nam
iam ulcera sunt in corpore hu-

o II.

cclesia.

is. Sic Cain sacrificavit, Gen. 4.

m est *propositio*, ubi committitur
ternè sacrificare, & uti Sacra-
a reprobis. At fide sacrificium
ramenta, est solorum electorum.

III.

cclesia.

esia membrum.